



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsque ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Articulus 1. Vtrum per pœnitentiam virtutes restituantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

Quod plane sentit Cyprianus epist. 3. dicens: Primum felicitatis genus est non delinquere: secundum vero delicta cognoscere & retrahere. Et Hugo de S. Vi&ore lib. 2. de Sacramentis d. 14. c. 4. dicens: Si magnum est aliquando surgere, maius certe est nunquam cecidisse: si bonum est sanatum esse, melius est nunquam fuisse corruptum. Ratio vero est, quia huiusmodi innocentia & continet magnam dignitatem moralem sanctitatis, & virtute includit quidquid boni est in remissione peccati, & excellentiori modo, nimirum liberationem a peccato per preservationem: quod est maximum beneficium gratiæ, propter quod homo non minores gratias Deo debet, quam propter remissionem peccatorum, cæteris paribus, ut sentit, & docuit Augustinus lib. 12. Confessionum cap. 11. & lib. 50. Homil. 23. Imo etiam maiores gratias debet, quia modus ille liberandi à malo per preservationem excellentior est, & ex maiori amore. Cuius etiam optimū signum est, quia quos Deus magis dilexit, maximeq; honorare voluit, illis hoc donum concessit.

In hoc autem ultimo gradu innocentie non videtur habere locum comparatio hic intenta de maiori ingratitude peccati, quia cum innocentia usque ad finalem gratiam non habet locum ingratitude peccati. Fieri tamen potest comparatio hic vel ex hypothese, sola mentis consideratione: nam si fingere mus postea subsequi peccatum, maius esset ex circumstantia ingratitude in innocente, quam in penitente. Vel etiam fieri potest comparatio (servata proportione ante consummationem gratiæ) inter innocentiam conservatam usque ad talem vitæ terminum, & æqualem iustitiam intra eundem terminum per penitentiam comparatam: nam est eadem proportionalis ratio. Solum oportet advertere, ut illa duo præcise comparentur, prout facile fit in diversis personis, non vero includendo unum in alio: quod fiet si in eadem persona fiat comparatio. Ut v.g. si quis habuit vitam innocetam per longum tempus, & postea peccet, dein de vero per penitentiam gratiam recuperet, atque iterum peccet magis ingratus est in hoc secundo peccato, quam in priori, quamvis primum videatur esse contra beneficium innocentie, secundum vero contra beneficium penitentiae, quia hoc non est cum præcissione, nam posterius peccatum semper est contra omnia beneficia præcedentia: & ita est etiam contra beneficium innocentie prius collatum usque ad talem terminum. Et ob hanc causam simpliciter verum est, in quolibet iterante peccatum maiorem esse ingratitude nem ob circumstantiam prioris peccati remissi, quamvis non ex illa sola, sed etiam ex aliis beneficiis hæc gravitas oriatur.

QVÆSTIO LXXXIX.

De virtutum recuperatione per penitentiam in sex articulis divisa.

Finde considerandum est, de recuperatione virtutum per penitentiam. Et circa hoc queruntur sex.

- Primo, utrum per penitentiam restituantur virtutes.
Secundo, utrum restituantur in aequali quantitate.
Tertio, utrum restituatur penitenti aequalis dignitas.
Quarto, utrum opera virtutum, per peccatum sequens mortificentur.
Quinto, utrum opera mortificata per peccatum, per penitentiam reuiuifcantur.
Sexto, utrum opera mortua, id est, absque charitate facta, per penitentiam viuificentur.

Superiori anno inter alia Opuscula relectionem quandam in lucem protuli, in qua totam huius questionis materiam ex professo disputavi, ideoque ad locum illum Lectorem duxi remittendum: su-

A peruacaneum est enim in earundem rerum repetitione immorari. Solum ergo articulis D. Tho. commentarios adiciam, eiusque sententiam, & mentem explicabo. Quod in dicta etiam relectione prætermisum omnino non est: sed in præsentis loco fortasse melius intelligetur.

ARTICVLVS I.

Ut rum per penitentiam virtutes restituantur.



Primum sic proceditur. Videtur, quod per penitentiam virtutes non restituantur. Non enim possunt virtutes amisse, per penitentiam restitui, nisi penitentia virtutes causaret. Sed penitentia cum sit virtus, non potest esse causa omnium virtutum: præsertim cum quedam virtutes sint naturaliter priores penitentia, scilicet fides, spes, & charitas: ut supra dictum est. Ergo per penitentiam non restituuntur virtutes.

Præterea. Penitentia in quibusdam actibus penitentis consistit. Sed virtutes gratiæ non causantur ex actibus nostris: dicit enim Aug. in lib. de Libero arbit. quod virtutes Deus in nobis sine nobis operatur. Ergo videtur, quod per penitentiam non restituantur virtutes.

Præterea. Habens virtutem sine difficultate & delectabiliter actus virtutum operatur: unde Philof. dicit in 1. Ethic. quod non est iustus, qui non gaudet iusta operatione. Sed multi penitentes adhuc difficultatem patiuntur in operando actus virtutum. Non ergo per penitentiam restituuntur virtutes.

Sed contra est, quod Luc. 15. legitur: Pater mandauit, quod filius penitens indueretur stola prima. Que secundum Ambros. est amicus sapientie. Quam simul consequuntur omnes virtutes: secundum illud Sapient. 8. Sobrietatem, & iustitiam docet, prudentiam & virtutem, quibus vitium nihil est in vita hominibus. Ergo per penitentiam omnes virtutes restituuntur.

Respondeo dicendum, quod per penitentiam remittuntur peccata, ut dictum est. Remissio autem peccatorum non potest esse nisi per infusionem gratiæ. Unde relinquunt, quod per penitentiam homini gratia infundatur. Ex gratia autem consequuntur omnes virtutes gratiæ, sicut ex essentia anime fluunt omnes potentie: ut in Secunda parte habitum est. Unde relinquunt, quod per penitentiam omnes virtutes restituantur.

Ad 1. ergo dicendum, quod eodem modo penitentia restituit virtutes, per quem modum est causa gratiæ: ut iam dictum est. Est autem causa gratiæ, in quantum est sacramentum: nam in quantum est virtus, est magis gratiæ effectus. Et ideo non oportet quod penitentia, secundum quod est virtus, sit causa omnium aliarum virtutum: sed quod habitus penitentia, si cum habitibus aliarum virtutum, per sacramentum penitentia causentur.

Ad 2. dicendum, quod in sacramento penitentia actus humani se habent materialiter: sed formalis vis huius sacramenti dependet ex virtute clauium. Et ideo virtus clauium effectiue causat gratiam & virtutem, instrumentaliter tamen: sed actus primus penitentis se habet, ut vltima dispositio ad gratiam consequendam, scilicet contritio: alij vero sequentes actus penitentia procedunt iam ex gratia & virtutibus.

Ad 3. dicendum, quod sicut supra dictum est, quandoque post primum actum penitentia, qui est contritio, remanent quedam reliquie peccatorum, scilicet dispositionis ex prioribus actibus peccatorum causatae, ex quibus præstatur difficultas quedam penitenti, ad operandum opera virtutum. Sed quantum est ex ipsa inclinatione charitatis, & aliarum virtutum, penitens opera virtutis delectabiliter & sine difficultate operatur: sicut si virtuosus, per accidens difficultatem pateretur in executione actus virtutis, propter somnum, aut aliquam corporis indispositionem.

COMMENTARIVS.

Supponit D. Tho. per peccatum virtutes amitti: & ideo inquit, an per penitentiam iterum acquirantur.

Supra q. 157. art. 3. ad 2. & 4. dist. 12. q. 2. ar. 2.

Q. 83. art. 6.

Ex li. 2. c. 18. fo. 1.

Lib. 1. c. 8. à med. 10. 5.

Q. 86. art. 2.

1. 2. q. 110. art. 4. ad 1.

Ex corp. art. 1.

Q. 87. art. 1.

In hoc articulo agitur de penitentia quiritantur mortalium.

Quid si comparatio sui respectu iustitiam per sona.

Aug. 8.

Cyprian. Hugo Vico.

quirantur. Vnde constat sermonem esse de poenitentia peccati mortalis: nam per venialia peccata nec amittuntur virtutes nec remittuntur, iuxta veram doctrinam, & ideo per poenitentiam venialis peccati nec virtutes, nec aliquis gradus earum restituntur. Nam, si ratione talis poenitentiae aliquid perfectionis additur prioribus virtutibus, illud est novum augmentum, non restitutio alicuius rei deperditae.

Constat deinde sermonem esse de virtutibus, per se infusis: nam acquisite non amittuntur per peccatum mortale ut sic, etiam si contingat illas fuisse ante infusas per accidens, & ideo nec per poenitentiam restituntur. Ut in Adamo v.g. qui a principio creationis suae habuit non solum gratiam, & virtutes per se infusas, sed etiam eas, quae naturalis ordinis sunt, per accidens infusas: verisimilius est non amittisse peccando has virtutes posteriores, quia non sunt per se connexae cum gratia, quam peccatum expellit, neque ab illa pendent in suo esse reali, seu in esse habitus, ita enim loquimur: & ideo neque amittuntur amissa gratia per peccatum, neque restituntur illa restituta. Dixi autem, per peccatum mortale ut sic, quia per peccatum quatenus est actus alicuius vitij, si sapius fiat, & cum sufficienti fervore & intentione, poterit expelli virtus acquisita quatenus per illos actus acquiritur habitus vitij contrarij. Proportionali autem modo restituetur, vel potius iterum de novo acquiratur talis virtus ab homine poenitenti, non ex vi solius poenitentiae ut sic, & ut est dispositio ad gratiam, sed exercendo actus talis virtutis sufficientes ad illam generandam. Et ob eandem causam per poenitentiam non statim expelluntur omnia vitia, per actus peccatorum acquisita, quia non repugnant formaliter gratiae, & virtutibus infusis.

Sermo item est de virtutibus per se infusis.

Quaestio est intelligenda uniuersaliter cum distributione accommodata.

D. Thomas conclusio.

Denique constat ex dicto fundamento, quaestio- nem hanc intelligendam esse uniuersaliter, tam cum distributione accommodata, id est, de omnibus virtutibus, quae per peccatum amittuntur. Non enim spectat ad hunc locum examinare, quanam virtutes infusae amittantur per peccatum, sed quae- cumque illae sint (certum est enim aliquas amitti) an illae omnes, quae amittuntur, per poenitentiam restituantur.

In hoc ergo sensu respondet D. Thom. affirman- do omnes virtutes gratuitas per poenitentiam resti- tui. Quod breuiter & dilucide probat ex eo, quod restituitur gratia, ex qua dictae virtutes sequuntur. Vnde sic, ita restitui has virtutes, sicut gratiam, ad quam consequuntur. Nam, si comitantur illam se- cundum suam substantiam seu in esse habitus, etiam restituntur quoad entitates suas: si vero solum co- sequuntur ad gratiam sanctificantem, seu ab illa pe- dent in esse virtutis, secundum eandem tantum rati- onem necesse est restitui per poenitentiam, ut de fide, & spe circa solutionem ad primum explicabimus. Atque hoc modo etiam virtutes acquisite dici pos- sunt per poenitentiam restitui ad statum virtutis Chri- stianae: nam sine charitate dici possunt potius virtu- tes philosophicae, quam Christianae, ut in materia de virtutibus latius traditur. Atque hinc etiam sequi- tur, quod D. Thomas docet de virtutibus, intelligi etiam de quibuscumque donis Spiritus sancti, quae gratiam per se comitantur, cum de illis eadem sit ratio. Non intelligit autem D. Thomas eandem nume- ro gratiam, quia hoc impertinens est ad veram & perfectam iustificationem: nec oportet speciale mi- raculum, aut extraordinarium modum productio- nis fingere, sine fundamento.

Solutiones ad 1. & 2. sunt valde notandae: nam in eis non obscure significat D. Thomas, poenitentiam illam, per quam restituntur virtutes, non elici ab habitu virtutis, sed illum antecedere. Sic enim obii- cit in primo argumento, Poenitentiam non potest esse

A causa aliarum virtutum: ergo ratione poenitentiae non restituntur omnes virtutes: quia hoc esse non posset sine causalitate. Respondet autem distinguendo poeniten- tiam ut est sacramentum, & ut est virtus: & ut est sa- cramentum, ait restitueri omnes virtutes: ut est au- tem virtus, potius ipsam restitui simul cum aliis virtutibus, per sacramentum poenitentiae. Quae do- ctrina vera est de virtute poenitentiae, quoad habi- tum, supponendo, contritionem seu actum poeni- tentiae, quo homo disponitur ad iustitiam, non elici à tali habitu. Nam, de actu ipso contritionis, etiam seclusa ratione sacramenti, seu ante institutionem illius, negari non potest, quin sit aliquo modo causa gratiae, scilicet, dispositiua, ut in superioribus osten- sum est: vnde consequenter, & in eodem genere etiam est causa omnium virtutum, quae gratiam con- sequuntur. Hoc ergo modo non solum de sacramen- to poenitentiae, sed etiam de virtute, ratione actus eius, verum est, restitui virtutes omnes per illam. Neque est inconueniens actum vnus virtutis esse dispositionem ad omnes mediante gratia. Nec D. Thomas hoc negare voluit, sed potius ut manife- stum reliquit, & sub sacramento inclusit hunc actum virtutis, quia est pars eius: & quia, si nunc haberet hanc causalitatem extra sacramentum, illam non haberet nisi includendo votum eius. Loquitur ergo de ha- bitu virtutis.

Virtutes restituntur ab actu poenitentiae, non vero ab habitu.

At vero si habitus efficeret illum actum poeniten- tiae, qui est dispositio ad gratiam, non posset ille ha- bitus non esse causa illius gratiae, & aliarum virtu- tum, quae consequuntur illam: quia qui efficit vlti- mam dispositionem, efficit etiam aliquo modo, seu est causa formae, & proprietatum, quae ad illam con- sequuntur in tali subiecto. Cum ergo D. Th. simpli- citer neget habitum poenitentiae hanc causalitatem, supponit certe illum non efficere talem dispositio- nem: nec video quomodo possit huiusmodi D. Th. veram aliam expositionem aut sensum recipere. Id- que Manifeste confirmat in solutione ad 2. cum e- nim obiecit, virtutes infusas non causari ex acti- bus nostris, ideoque non posse per poenitentiam, quae in nostris actibus consistit, reparari. Respondet, ac- tum poenitentiae ex se non habere virtutem efficien- di gratiam, & virtutes, eam tamen participare vir- tute clauium, quatenus est pars sacramenti. In quo etiam supponit habitum gratiae non esse causam ef- ficientem talis dispositionis, alioquin non posset simul ab ipsa effici etiam instrumentaliter. Deinde addit contritionem (scilicet secundum se) quam vocat primum actum poenitentis, esse vltimam dispositio- nem ad gratiam consequendam. Et subiungit, Alii vero sequentes actum poenitentiae procedunt iam ex gra- tia & virtutibus: ergo aperte sentit illum primum ac- tum ab eis non procedere.

Vnus vero superest scrupulus in primo argumen- to, in quo specialiter D. Th. obiecit de fide, & spe, & charitate, quae poenitentiam antecedunt. Quae obie- ctio in charitate difficultatem non habet, quia ha- bitus charitatis nec tempore, nec natura praecedit illum actum poenitentiae, qui est vltima dispositio ad gratiam: actus autem charitatis, quamuis inter- dum praecedat ordine naturae, nihil ad praesens re- fert, quia non agimus de restitutione virtutis quoad actus, sed quoad habitus: neque ita tribuitur hic effe- ctus actui poenitentiae, ut secludatur actus charita- tis, ut supra declaratum est agendo de effectu iusti- ficationis, à quo in re non distinguitur hic effectus de restitutione virtutum. In fide autem, & spe habet illa obiectio nonnullam difficultatem, quia non so- lum actus, sed etiam habitus harum virtutum ordi- narie antecedunt poenitentiam, non modo naturae or- dine, sed etiam tempore. Dicendum est autem, si sermo sit de ordinariis peccatis, quae his virtutibus non opponuntur, & ideo habitus illarum non excludunt, verum esse per poenitentiam talium peccatorum non restitui

Difficultas de restitu- tione fidei, & spei.

Solutum.

ARTICVLVS II.

Virum post penitentiam resurgat homo in equali virtute.



Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod post penitentiam resurgat homo in equali virtute. Dicit enim Apost. Rom. 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Vbi dicit Gloss. Aug. quod hoc adeo verum est, vt si qui horum delictis, & exorbitent, hoc ipsum eis Deus faciat in bonum proficere. Sed hoc non esset, si homo resurgeret in minori virtute. Ergo videtur, quod nunquam penitens resurgat in minori virtute.

Intra art 5. ad 3. & 4. d. 31 q. 1. ar. 4. Aug. in lib. de corr. & gratia, ca. 9. post med. tom. 7.

Præterea: Ambros. dicit, quod penitentia res optima est, quæ omnes defectus renouat ad perfectum. Sed hoc non esset, nisi virtutes in equali quantitate recuperarentur. Ergo per penitentiam semper recuperatur equalis virtus.

Præterea: Super illud Gen. 1. Factum est vespere & mane dies vnus, dicit gloss. Vespertina lux est, a qua quis cecidit: matutina, in qua resurgit. Sed lux matutina est maior vespertina. Ergo aliquis resurgit in maiori gratia vel charitate, quàm prius habuerit. Quod etiam videtur per id, quod Apost. dixit Rom. 5. Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.

Hoc habet August. 3. Hypo. nosti. c. 7. a medio illius to 7.

Sed contra: Charitas proficiens vel perfecta, est maior quam charitas incipiens. Sed quandoque aliquis cadit à charitate proficiente, resurgit autem in charitate incipiente. Ergo semper resurgit homo in minori virtute.

Respondendo dicendum, quod (sicut dictum est) motus liberi arbitrii, qui est in iustificatione impig, est vltima dispositio ad gratiam. Vnde in eodem instanti est gratia infusio, cum prædicto motu liberi arbitrii, vt in secunda parte habitum est. In quo quidem motu comprehenditur actus penitentia, vt supra dictum est. Manifestum est autem, quod forma, quæ possunt recipere magis & minus, intenduntur, & remittuntur secundum diuersam dispositionem subiecti, vt in secunda parte habitum est. Et inde est, quod secundum quod motus liberi arbitrii in penitentia est intensior vel remissior, secundum hoc penitens consequitur maiorem, vel minorem gratiam. Contingit autem intensiorem motus penitentis quandoque proportionatam esse maiori gratia, quam illa, a qua ceciderat per peccatum: quandoque autem equali, quandoque vero minori. Et ideo penitens quandoque resurgit in maiori gratia, quam prius habuerat, quandoque autem in equali, quandoque etiam in minori. Et eadem ratio est de virtutibus, quæ ex gratia consequuntur.

Art præced. ad 3.

Q. 113. art 5. c. 7. in 1. 2.

1. 2. q. 52. ar. 1. & 2. & 3. 66. artic.

Ad 1. ergo dicendum, quod non omnibus diligentibus Deum cooperatur in bonum hoc ipsum, quod per peccatum à Deo amore cadunt: quod patet in his, qui cadunt, & nunquam resurgunt, vel qui resurgunt, iterum casuri. Sed his tantum, qui secundum propositum vocati sunt sancti, id est, prædestinatis, qui quotiescunque cadunt, finaliter tamen resurgunt. Cedit ergo eis in bonum hoc, quod cadunt, non quia semper in maiori gratia resurgant: sed quia resurgunt in permanentiori gratia. Non quidem ex parte ipsius gratia (quia quæto gratia est maior, tanto de se est permanentior) sed ex parte hominis, qui tanto stabilis in gratia permanet, quanto est cautior, & humilior. Vnde & gloss. ibidem subdit, quod ideo proficit eis in bonum, quod cadunt, quia humiliores redeunt, atq. doctiores.

August. loco citato in arg.

Ad 2. dicendum, quod penitentia, quantum est de se, habet virtutem reparandi defectus ad perfectum, & etiam promouendi in vltiorem statum. Sed hoc quandoque impeditur ex parte hominis, qui remissius mouetur in Deum, & in detestationem peccati: sicut etiam in baptismo aliqui adulti consequuntur maiorem, vel minorem gratiam, secundum quod diuersimode se disponunt.

Ad 3. dicendum, quod assimilatio illa virtutisque gratia ad lucem vespertinam & matutinam, fit propter similitudinem ordinis: quia post lucem vespertinam sequuntur tenebrae noctis, post lucem autem matutinam sequitur lux diei: non autem propter similitudinem maioris, vel mi-

restitui habitus fidei, & spei quoad substantiam suam, quia amissi non fuerant: & ita non procedit obiectio, quia quaestio, & resolutio eius intelligitur de virtutibus, quæ per peccatum amittuntur, vt exposuimus: tunc autem restituntur fides, & spes ad esse virtutis, quia per peccatum mortuæ remanserunt, & per penitentiam vitam accipiunt, & statim virtutis. Si autem sit sermo de illis peccatis, per quæ hi habitus amittuntur, vt sunt hæresis, vel desperatio, tunc verum est etiam restitui habitus harum virtutum per penitentiam.

Est autem aduertendum, tunc necessarium esse, vt homo habeat actum fidei, & spei, priori infidelitati, aut desperationi contrarium, quia & sunt necessitate dispositiones ad tales habitus, & sine illis non potest haberi vera contritio. Contingit autem hos actus fidei, & spei haberi prius tempore, quam penitentiam, & aliquando etiam fieri potest, vt in eodem instanti omnes illi actus concipiuntur, quàmquam id rarum, & extraordinarium videatur. Si ergo aliquando ita contingat, cessat obiectio, quia tunc habitus fidei, & spei non restituntur prius tempore, quam penitentia habeatur, vt ex hypothesi clarum est, quia non infunduntur ante proprios actus: supponimus autem illos actus non antecedere duratione actum penitentia in dicto casu. Neque tunc necessarium est intelligere, habitum fidei, & spei prius natura infundi, quam sit actus penitentia: quia, licet actus fidei, & spei ordine nature præcedant, tamen in eo casu non procedant ab habitibus, ad quos disponunt: atque ita illi habitus nullam causalitatem habent in actu penitentia, ratione cuius prius natura esse dicantur. Quamquam, si quis contendat ibi esse aliquam prioritatem nature, non multum resitam, aut contendam: nam id etiam facile ex sequenti puncto declarari potest, si omnis proprietatis independetia, seu in sabilitate consequentia, prioritas nature dicatur.

Quando ergo contingit actum fidei, & spei in tali peccatore duratione præcedere actum vere penitentia, difficultas est inter Doctores, an habitus fidei & spei statim restituantur, vel expectetur semper vera iustificatio per penitentiam. Quidam enim hoc posterius affirmant: & illi facile defendunt, quod hæ virtutes per peccatum admittuntur, per penitentiam restitui, & nunquam præcedere, nec tempore, nec natura, quia non restituntur, nisi vt proprietates gratiam comitantur. Ego vero probabilis existimo habitus harum virtutum restitui statim, ac peccator disponitur per actus fidei, & spei illis habitibus proportionatos, vt in simili puncto latius dixi, tractando de Baptismo. Tunc ergo concedendum est hos habitus prius tempore restitui, quam penitentia habeatur. Ad obiectionem vero responderi potest primo, cum dicimus, per penitentiam restitui virtutes omnes, intelligendum id esse de virtutibus, quæ nondum restituta sunt, quales sunt omnes, quæ à gratia nunquam separantur, quas fortasse D. Thomas gratias virtutes appellauit. Vel etiam dici potest, sub penitentia, quæ restituit virtutes, comprehendenda, quæ necessaria sunt ad talem penitentiam, inter quæ actus fidei, & spei computantur: ideoque vere dicitur, per penitentiam restitui omnes virtutes, cum debita proportionem & ordine, scilicet, vt per illos actus, qui sunt veluti fundamenta penitentia, restitui incipiant virtutes quoad illas, quæ sunt quasi fundamenta reliquarum, & ad suum esse per se non requirunt gratiam sanctificantem. Eo vel maxime quod in talibus actibus includitur quædam penitentia priorum peccatorum, quatenus repugnabant talibus virtutibus, sub qua solum ratione fuerunt

causæ amissionis earum.

Quid si habitus fidei & spei restituantur ante penitentiam.

Quid si actus fidei & spei antecedant penitentiam.

Habitus fidei & spei restitui statim, ac peccator disponitur per actus fidei, & spei illis habitibus proportionatos.